

Vers. 8.

Versu 8. prædicat eam ab eo, quod bestias ac feras deserti (nam metonymia est, *desertum* pro *be-*  
*stijs, desertum incolentibus*) perterrefacit. Nam & hoc sit in tempestatibus. Quædam animantia se-  
uiente tempestate saltus ac nemora linquunt, quædam prorsus præ nimio terrore emoriuntur. De-  
sertum *Cades*, est illud in quo Israëlitæ morati sunt 40. annos: quod & alijs nominibus in Scripturis  
vocatur.

Vers. 9.

Versu 9. ad idem facit, quod dicit, *vocem Domini ceras ad parturitionem adigere*, videlicet perterrefa-  
ctas tempestatum violentia. Et rursus potentiam flatus in eo prædicat, quod dicit *vocem Domini des-*  
*nudare sylvas*. Ramos enim & arbores quoq; disiicit.

Vers. 10.

Versu 10. celebrat potentiam Domini à multitudine aquarum, quas desuper instar diluuij effun-  
dit. Quanquam quidam interpretantur de diluvio Noæ, quemadmodum reliqua referunt ad cer-  
tas historias, ad quas putant respexisse Dauidem. Mihi videtur simplicius, vt in genere illa intelliga-  
mus, de consuetis cœli tempestatibus in quibus voluerit Dauid commendare, & ob oculos pone: e  
Potentiam Dei, quæ certè multò efficacius consideratur in quauis tempestate præsenti, quam in il-  
lis quo olim transierunt. Illud, *Dominus sedet rex in æternum: hoc est, regnat in æternum, quasi suminari-*  
am conclusionem adiecit.

Vers. 9.

Illud in versu 9. *Et in templo eius quisq; dicit gloriam: suspicionem mihi facit*, Psalmum hunc à Dauide  
ad hoc esse factum, vt saeuentib. tempestatibus illum decantarent in templo, collecta forsan id tem-  
poris Ecclesia. Hinc etiam moris fuisse puto inter Christianos, vt conuenerint in vnum orandi gra-  
tia ingruentibus tempestatibus. Vnde relictum esse credo tintinnum campanarum, quo Ecclesia con-  
uocari solet, qui iam in superstitionem abiit.

OBSER.

*Et Psalm. 148. vocati-  
gnem, gran-  
dine, & spi-  
ritum turbi-  
nis, exequi-  
tores verbi  
Domini.*

In eo quod toties repetit vocem Domini, ista facere, quæ commemoeruit (repetit autem illud  
septies) & quod alibi, nempe Psalmo 140. tonitrua vocat, increpationem Dei: nos admo-  
nemur, non tam considerare naturales tempestatum causas, quam iræ diuinæ indicia. Scrutentur alij  
ex Aristotele causas harum rerum: nos audiamus Spiritum S. qui dicit vocem Domini sua potentia  
ista efficere: id quod magis faciet ad propositum, nempe ad perterrefaciendas mortalium vtcunq;  
sublimium mentes, quam si studiosè inquiramus, quibus naturalibus rationibus ea fiant. Deploran-  
da est quorundam duritia plus quam agrestis & ferina, qui tam evidenti potentia Dei nihil mouen-  
tur: cum illam agnoscant robustissimæ arbores, & sylvestres feræ.

## DE TERTIO.

Vers. vlt. Quemadmodum hactenus superbis Mundi huius potentiaibus terribilem, ita iam po-  
pulo Dei amicam & iucundam facit potentiam & gloriam Dei, dicens: *Dominus dabit fortitudinem po-*  
*pulo suo, Dominus benedicet populum suum in pace*. Q.d. Soletur ista Domini potentia populum Domini.  
Nam ex eo quod potens est, potest & suos corroborare, confirmare, & contra omnes aduersarios  
tutari, quemadmodum & faciet. Nam ipse est qui populum suum forte facit, ipse est qui benedit, B  
idq; in pace: hoc est qui dat populo suo, superatis hostibus, pacem, & vitam in pace securam, omnib.  
bonis refertam. Hoc certè sub Dauid cœpit, & sub Salomone aliquandiu visum est. Commendat  
ergo Dauid potentiam Dei in eo, quod vires ac fortitudinem dare queat populo suo, contra omnes  
hostes, à quibus impetratur, vt superatis hostib. pacifice queat & quiete vivere. qua de re est & Psal.  
147. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti latiat te. Qui benedixit filijs tuis in te, &c.

OBS. I.

Videmus ergo hoc loco, quomodo habeat animus pius, intonante cœlitus voce Domini, pote-  
statemq; suam exerente: qua de re vide Psalm. 18. pleraq;

OBS. 2.

Deinde videmus, vnde sit fortitudo contra hostes, & donum pacis. Dauid h̄c sibi nihil adscribit,  
non vocat se potentem & invictum. Non dicit: Ego liberabo Israëlem, ego pacem istam superatis  
hostibus acquiram, ego dabo Israëli vt pacifice olim agat, & in bonis delicietur. Omnia ista, tametsi  
ipse bella gesserit, victoriamq; aduersus hostes tulerit, Domino tamen, non sibi adscribit: popu-  
lumq; admonet, vt in eo potentiam Domini agnoscat, & illa nitatur. Nos Germani hodie multa pre-  
sumimus de innata quadam bellandi fortitudine & dexteritate, qua confidimus victores nos omni-  
um exterarum nationum esse posse, si in vnum conspiraremus. Deinde sunt qui gloriantur in po-  
tentia Cæsaris, quem vocant invictissimum. Quantò satius esset cum Dauide dicere: *Dominus dabit*  
*fortitudinem populo suo, Dominus benedicet populum suum in pace*. Et: Non in fortitudine equi voluntatem  
habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit illi. Beneplacitum est Domino super timentes eum,  
& in eis qui sperant super misericordia eius. Proinde hodie experimur victoriam non esse in no-  
stra, sed in Domini manu.

## PSALMVS XXX.

TITVLVS.

PSALMVS CANTICI DEDICATIONIS  
domus Dauidis

VERS. I.



XALTABO te Domine, quoniam exaltasti me, nec gaudere fecisti inimi-  
cos meos aduersum me.

2. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.

3. Domine exaltasti eouæ animam meam, uiuificasti me ab illis qui  
aescendunt in sepulchrum.

4. Psallite